

rum conplacuisse Deo conditori rerum propter iniusticias hominum totum deperire mundum, solus Noë propter innocentis vite iusticiam cum domo sua et animantibus ad ipsum confugientibus salvatus est. Cessante itaque cataclismo Noë quidem cum filiis ad prioris habitationis locum devenit^a, et per CCCL^b annos, quibus post diluvium supervixit, in tantum posteri eius creverunt ac multiplicati sunt, quod Noe Ionitum filium suum, quem secundo post diluvium anno genuerat, cum omni domo sua in Evam^c seu Illiocharam^d, quam nunc Indi vel Bracmani inhabitant, transmitteret; timens siquidem, ne sicut prior^e etas per homicidia et ceteras iniquitates Deum offenderent, filios filiorum suorum Deo iubente in alias partes terre cum domibus suis demigrare precepit. Chus itaque filius Cham cum domo sua et fratribus suis et Gomer filius Iaphet cum fratribus et familiis^f suis pervenerunt in campum Sennaar et habitaverunt ibi. Arfaxat autem filius Sem^g cum fratribus et familiis suis Caldeam ac Mesopotamiam possedit^h. Chus ergo [filius]ⁱ Cham genuit Nemroht et^k fratres eius. Hic Nemroth^k altitudine et fortitudine et sapientia omnes fratres et consanguineos suos precedebat descenditque in Indiam ad Ionitum filium Noe et didicit ab eo omnem disciplinam celestium, astronomiam videlicet et geometriam, musicam et arithmetica. Hic primus regnavit in terra Sennaar fuitque Babiloniae illius gygantomachiae auctor et fundator, suadens hominibus a Deo recedere ac proprie virtuti confidere. Cumque per divisionem linguarum Deus fabrice illius machinam interceptisset, Nemroth solus cum stirpe ac sequacibus suis terram Sennaar obtinuit edificataque Babilone primus omnium regnavit in ea. Hic genuit duos filios: Assur, qui regnum Assiriorum instituit edificavitque civitatem, quam Calannam nuncupavit^l, a qua Caldei primo sunt vocati. Alter vero filius Ninus vocabatur; hic construxit civitatem, quam Niniven appellavit, regnavitque in ea. Is itaque duxit uxorem Semiramem de stirpe Iaphet genuitque ex ea duos filios, Ninsam et Trebetam. Sed Trebeta omnes homines illius temporis sapientia et fortitudine et

a) 'pervenit' P. b) Lücke für die Zahl in P hinter 'annos'; für die Zahl vgl. Königshofen S. 697. c) 'sua Mevam' P. d) 'Illiochriam' P. e) 'priorum' P. f) 'fratribus' P. g) Dahinter in P: 'genuit Sale, Sale autem genuit Eber, de quo Ebrei sunt dicti, et'.
h) 'possident' P. i) P; fehlt in B. k) 'et — Nemroth' fehlt in P.
l) 'Calunnam appellavit' P.